



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,
Locis,|| Liber Vnvs.||**

Thyraeus, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1598

VD16 T 1247

Cap. LXIII. An Spiritus defunctorum hominum prohibeantur ad viuos redire
si ipsorum cadauera sub foco sepeliantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

tantum, sed petras quoque, sine incantationis crimine permittit
Dæmonium sustinentibus. ibidem 26. q. 7.

Idem iudicium est de certis quibusdam *animalibus*, seu ipso-
rum *carnibus*, siue in cibum sumantur, siue corporibus Obsesso-
rum adhibeantur: vt ob id non errare dicendi sint, qui in Ener-
gumenum curacione, operam Medicorum docent requirendā.

Idem de *Musico concentu*, & Musicorum instrumentorum me-
lodia cum Boetio in suo, de Musica libro dicimus. Quocirca
quamuis aliis atque aliis causis, alij atque alij tribuerint, quod pul-
sante cytharam Dauid, melius habuerit Saul, non iudicamus tamē
in errore versari eos, qui concentui magnam partem eiusdem re-
quie concedant.

Hæc igitur atque his similia, quæ diximus, Dæmonum studia
impediunt; atque efficiunt, ne quantam desiderant; Obsessorum
corporibus molestiam afferant; sed tamen Dæmones sedibus suis,
id est, humanis corporibus non pellunt; propterea quod in Spiri-
tus hæc non agant; sed Spirituum operationes retardent: & retar-
dent eosdem non *in se*, sed suis instrumentis. cum quo consistit,
vt & aliis rationibus Spiritus molesti esse possint miseris mortali-
bus; & si ne hoc detur, possint in corporibus latere, quamuis nul-
la molestia corpora afficiant. Idem docent Soarez Tom 3. Disput.
15. Sectione 4. Abulenſis in caput 16. 2. Regum, & alij plerique.

CAP. LXIII.

*An Spiritus defunctorum hominum prohibeantur
ad viuos redire, si ipsorum cadauera sub fo-
co sepeliantur.*

Rieicimus duos modos, quibus contra Dæmonum infesta-
tiones quidam se muniunt: duo restant examinandi, qui-
bus ab humanorum Spirituum molestia, libertas exspe-
ctatur. Posterior sequenti, prior est hoc capite discuti-
endus. Is Philapporum est: hi cadaueribus defunctorum sub fo-
co defossis, ipsorum ad viuos reditum, & quas afferre solent mo-
lestias, prohiberi credunt, quemadmodum capite primo ex Beu-
cero annotauimus. Verum *bene ne credunt?* Christianis que homi-
nibus *licetne* hoc modo contra defunctorum Spiritus pugnare?
Res sic se habet.

Primum, *hac ratione nullum emolumentum ad defunctorum Spiri-*

tus accedit. Nam si perpetuis suppliciis ob peccata sua sunt destituti; quemadmodum ex nulla re alia; ita neque ex hac subsidium aliquod capiunt. Quod si de salute sua sunt certi, ob defectus tamen quosdam expiandi, priusquam aditus ad cælorum regna pateat; & ipsi intelligunt frustra hæc fieri, & idem intelligunt viuentes, qui à sanctissimis Augustino atque Gregorio instituti sunt de subsidiis, quibus defunctorum Spiritus iuuantur.

3. *Sic nec detrimentum ex hac sepultura capiunt defunctorum Spiritus.* Neque enim eos, qui piè in Christo defuncti sunt, retardat, cur minus à pœnis, quibus expiantur, eripiantur. Neque grauioribus suppliciis illos implicat, quibus omnis spes salutis est adempta. Nullis defunctorum Spiritibus incommodare possunt viuentes: aliquibus possunt prodesse.

4. Rursus sepultura hæc compedes non inicit defunctis, *ne ad viuos redire valeant.* Defossa continentur sub foco cadauera ne rumpant, & viuentes terreant: Spiritus à corporibus liberi, nisi aliunde ipsis ne redeant, necessitas afferatur, cur redire nequeunt?

5. Quid quòd *iniuria quadam defunctis hic inferri videatur?* Omnibus quidem, quòd honesta & Christiana ipsis sepultura negetur, quàm meritò vniuersi possunt postulare: Certis verò aliquibus, piè inquam in Christo defunctis; quod ne viuentium petant suffragia, prohibeantur.

6. *Nec sine superstitionis crimine hic sunt viuentes,* qui defunctorum corpora sub foco recondunt. Quid quæso ne ad viuos aliquando Spiritus redeant, faciunt eorum sub foco defossa corpora? An forsitan vim hanc focus habet; vt si defunctorum corpora possideat, mox Spiritibus lex posita sit, ne loco se mouere valeant? Annon hoc focus habet, sed Spirituum illa est conditio; vt postquam è corporibus egressi, si ipsorum sub foco concludantur corpora, ipsi certo loco debeant esse affixi? An fortè si nec hoc est, nec illud, ita Deus constituit; vt quamprimum sub foco continentur corpora; omnis ad viuos redeundi Spiritibus sit sublata libertas?

7. *Non vim hanc habet focus, vt facultatem Spiritibus redeundi adimat.* Neque enim per se hoc ipse locus efficit; neque ignis, qui loco fouetur & continetur; neque quicquam, quod cum foco coniunctum est. Possunt hæc longissimo interuallo à Spiritibus distare, vt ob id in Spiritus valeant nihil. & quamuis distarent nihil; Spiritum tamen ipsa, quia corpora sunt, non possunt afficere.

8. *Nec Spirituum est illa conditio, vt loca reuisere atq; molestare nolint, quorum cadauera focus continet.* Si enim redire nolunt, id vel ratione

tione

tionem detrimenti fiet, quod timent incurrere, si redeant. atqui nullum ipsis potest afferi; vel emolumentum, quod suo reditu metuunt amittere. Sed nullum est, quo priuari vlla ratione possunt.

Dei forte lege prohibentur? At quæ illa? quibus reuelata? quo tempore? vbi locorum? Et quas ob causas hac ratione Deus Spiritibus reditum voluit esse interdictum? Hæc nisi proferantur; dici potest lege Dei Spiritibus reditum prohibitum; probari non potest, nec debet credi.

Experientia dicet aliquis edocti sunt Philappi hanc sepulturam focalem prohibere Spirituum molestias. Quid si negetur illam exceptione carere? Sed neque si exceptionem nullam admittat, christiano homini probari debet. Multa quotidiana experientia fieri obseruamus, quæ damnant docti & pij; quæ non Deum, sed Dæmonem habent authorem: quid si ex horum genere sit hæc defunctorum sepultura?

Et est profectò quod vehementer hanc rem de superstitione suspectam facere debeat Christiano homini. Cum enim naturæ viribus reditus hic Spiritibus non prohibeatur: de Dei quoque voluntate nullum argumentum extet; neque Ecclesiæ autoritate probetur: vix alio, quàm superstitionis loco cum aliis multis habenda est.

Dæmonum igitur ope fieri dixerim, aut plurimum quod hi defunctorum Spiritus non redeant. Placet ipsis illudi mortalibus vanis opinionibus, ut quæ has foueant, ne Spiritus redeant, efficiunt; aut quod verisimilius est, ipsi hominibus in Spirituum humanorum persona molesti esse volunt. Quid mirum? Luculenta est D. Augustini sententia lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 22. & 23. Dæmones seducere homines vanitati deditos, rebus vanis. Affectant versipelles Dei similitudinem etiam in hoc, quod quemadmodum Deus operatur effectus gratiæ mediante Sacramentis sensibilibus, non tanquam causis, suapte natura sufficientibus, sed tanquam signis effectuum: ita ipsi quædam efficiunt adhibentibus hominibus media, quæ reuera ad ipsos effectus nihil conferunt, quibus proinde vtuntur tanquam effectuum quibusdam signis.

Hinc iam manifestum est & Philappos in graui errore versari, quando hac ratione Spirituum infestationibus obuiant: & Christi fidelibus hoc pugnae & armorum genere contra Spirituum molestias pugnandum non esse. *Nolo vos socios fieri Dæmonorum, inquit Apostolus I. Corinth. 10. quæ enim participatio iustitiæ*

cum iniquitate? aut que societas luci ad tenebras? que conuentio Christi ad Belial? quis consensus templo Dei cum idolis? 2. Corinth. 6.

CAP. LXIII.

An iactus fabarum nigrarum, contra molestias Spirituum defunctorum olim profuerit, iam-
que Christiano populo permitti
possit.

I. **A**lter modus, quo contra defunctorum Spiritus se munierunt quidam, olim, apud Romanos maxime, in usu fuit, & lemuralium sacrorum nomine est celebratus. De quo breuiter Alexander ab Alexandro libro 3. Genialium dierum, cap. 12. In Lemuralibus sobam noctu iace e vsurpatum est; Lemures se ex domo eicere clamantes: quam nigr. m esse conuenit, ipsarumq; lotis manibus & pede nudo, per ora versare, & post terga reicere, & visq; timentum facere, utq; Lemures fabis redempti domo abirent, nouies orare, idq; Maio mense, tribus vicibus fieri, donec solutis religione animis Manes expositos ducerent. Ita Alexander. Sed eadem Ouidius longe ante ipsius his versibus 5. Fastorum:

Ritus erat veteris nocturna Lemuria sacri,
Inferias tacitis Manibus illa dabunt.
Annus erat breuior, nec adhuc pia Februa norant,
Nec tu dux mensum lane biformis eras.
Iam tamen extincto cineri sua dona ferebant,
Compositiq; nepos busta piabat aui.
Mensis erat Maius maiorum nomine dictus,
Qui partem prisca, nunc quoq; moris habet.
Nox vbi iam media est, somnoq; silentia prabet,
Et canis, & varia conticuisse aues.
Ille memor veteris ritus, timidusq; Deorum
Surgit, habent gemini vincula nulla pedes.
Signaq; dat digitis medio cum pollice iunctis,
Occurrat tacito ne leuis Umbra sibi.
Cumq; manus pura fontana perluit vnda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.
Auersusq; iacit sed dum iacit: Hac ego mitto,
His, inquit, redimo meq; meosq; fabis.
Hac nouies dicit, nec respicit: Umbra putatur,
Colligere, & nullo terga vidente sequi.